*An venditio revocanda sit, & de fraude creditoris.*

7. Idem A. Caro.

SI cessante [1] solutione, creditor non reluctante lege contractus [2], ea, quæ sibi pignori nexa erant, distraxit, revocari [3] venditionem iniquum est: cum si quid in ea re fraudulenter [4] fecerit; non emptor ate, sed [5] creditor conveniendus sit. PP. 5. Kal. Novemb. PIO & PONTIANO CONSS. 239.

*De oblatione debiti.*

8. Idem A. Maximo.

SI priusquam [6] distraheretur pignorata possessio, pecuniam creditori obtulisti, eoque non accipiente, facta contestatione eam depositi, & hodie [quoque] in eadem causa permanet, pignoris distractio non valet. Quod si prius quam offerres, legem venditionis exercuit: quod jure subsistit, revocari non debet. PP. 3. Non. April. GORDIANO A. & AVIOLA CONSS. 240.

*Quæ observanda sint in distractione pignoris, & de residuo debiti.*

9. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. Cillo.

QUæ specialiter [7] vobis obligata sunt, debitoribus detractantibus solutionem, bona fide debetis & solenniter vendere. Ita enim apparebit, an ex pretio pignoris debito satisfieri possit. Quod si quid decerit [8], non prohibemini cætera [9] etiam bona jure conventionis consequi. PP. 13. Kal. Jul. DIOCLETIANO III. & MAXIMIANO AA. CONSS. 287.

*An creditor pignus emere possit.*

10. Iidem AA. & CC. Ruffino.

ET qui sub imagine [10] alterius personæ quam suppositerat, jugiter [11] tenet: cum sibi negotium gerat, alienasse non videtur. Jure enim pignoris obligatum prædium; neque si per subjectam [12] personam creditor comparaverit, neque si sibi addixerit, debitori affert præjudicium; sed in eadem causa permanet, in qua fuit ante hujusmodi collusionem. Sane si [13] debitore distrahente comparaverit, consensu emptionem perfectam (si neque dolus [14] adversarii, neque metus [15] causa gesta arguentur) revocari [16] exemplo grave est. Si igitur poteris evidentibus probationibus monstrare creditorem [17] per suppositam imaginarii [18] emptoris personam semper possessionem tenuisse, nec vendita bona [19] fide prædia postea sinceriter comparasse, potes oblata pecunia cum usuris ad restitutionem creditorem compellere. PP. 3. Non. Octobr. ipsis IV. & III. AA. CONSS. 290.

*De muliere.*

11. Iidem AA. & CC. Rufinæ.

MUlier [20], licet specialiter res pignori dederit pro alio [21], creditor eas distrahendi [22] non habet facultatem: nisi dissimulatione [23] marito obligante velut [24] proprias, creditoris ignorantiam circumscripserit. PP. 5. Kal. Maji, *Heraclæ*, AA. CONSS.

*Si debitor distraxerit.*

12. Iidem AA. & CC. Zotico.

SI debitor [25] rem tibi jure pignoris obligatam, te non consentiente distraxit: dominium cum [26] sua causa transtulit ad emptorem. S. Prid. Kalend. Maji, *Heraclæ*, AA. CONSS.

*Si emptor in possessionem inductus non est.*

13. Iidem AA. & CC. Theodotæ.

QUi prædium obligatum a creditore comparavit, si in [27] vacuam possessionem inductus [28] non est, nullam in rem actionem habet.

*Si debitor rem obligatam teneat.*

14. Iidem AA. & CC. Modesto.

SIin hoc, quod jure tibi debetur, satisfactum [29] non fuerit, debitoribus res obligatas tenentibus [30], aditus Præses provinciæ, tibi distrahendi facultatem jubebit fieri. PP. 16. Kal. Decembr. *Sirmii*, AA. CONSS.

*Si debitor mancipia a creditore distracta sollicitaverit.*

15. Iidem AA. & CC. Avianæ.

OBligatis pignori mancipiis a creditore distractis ac traditis; si post debitor quondam hæc sollicitaverit: non venditori, sed emptori [31] contra possidentem in rem competit actio. Dat. Kalend. Mart. *Sirmii*, CC. CONSS.

*Si unus ex heredibus debitoris pro sua portione solverit.*

16. Iidem AA. & CC. Sylvano.

UNus [32] ex multis debitoris, qui pignora tradiderat, heredibus, quod ab eo personali actione peti potuit, solvendo, res obligatas distrahendi creditori facultatem non adimit. S. 3. Non. April. CC. CONSS.

*De re vendita a creditore, cui non erat obligata.*

17. Iidem AA. & CC. Agapæ.

REi creditor obligatæ generali sive speciali conventione, per creditorem alium, cui [33] non fuerat nexa, venundatæ, non amittit persecutionem. D. Prid. Non. April. CC. CONSS.

*Proprietatem transferri in emptorem.*

18. Iidem AA. & CC. Cajano.

QUi a creditore pignori obligatum prædium jure [34] emit, de proprietate [35] vinci non potest. S. 6. Kalend. Maji, CC. CONSS.

*Si maritus uxoris pecuniam crediderit.*

19. Iidem AA. & CC. Libyæ.

SI maritus [36] tuus mutuam (licet tuam) dedit pecuniam; eorum, quæ pignoris tituló accepit, si ei non successisti, distrahendi nomine tuo nullam habes facultatem. S. 6. Id. Novembr. *Heraclia*, AA. CONSS.

*De superfluo pretio pignoris, & re ex eo empta.*

20. Iidem AA. & CC. Sabino.

SEcundum placiti fidem, si nihil convenit [37] specialiter, pignoribus a creditore majore, quam ei debebatur, pretio distractis [38]; licet ex eo [39] fundus comparatus [40] sit, non super hoc in rem, sed in personam, id est, pignoratitia de [41] superfluo competit actio. S. 6. Id. Novembr. *Byzantii*, CC. CONSS.

## TIT. XXIX.

## DEBITOREM VENDITIONEM PIGNORIS IMPEDIRE NON POSSE.

*Debitor in sua ultima voluntate non potest impedire, quominus creditor jure possit vendere prædia sibi obligata.* Salic.

1. Impp. SEVERUS & ANTONINUS AA. Marcello.

SI sunt qui emere prædia tibi obligata velint, non impediuntur scriptura [42] testamenti, qua complexus est debitor *nulla a se prædia venundari*, & pœnam addidit, *ut* [43] *fisci fierent*. Nec enim potuisse eum hujusmodi lege jus creditoris facere deterius, manifestum est. Datum 6. Kalend. Maji, APRO & MAXIMO CONSS. 208.

*Nisi debitor universum debitum offerat, non habet potestatem denunciandi creditori, ne pignora vendat, nec emptori, ne emat.* Salic.

2. Imp. GORDIANUS A. Nepoti.

DEbitoris [44] denunciatio [45], qui creditori suo, ne sibi rem pignori obligatam distrahat, vel his, qui ab eo volunt comparare, denunciat, ita demum efficax est, si universum [46] tam sortis, quam usurarum offerat debitum creditori: eoque non accipiente, idoneæ fide probationis (ita ut oportet) depositum ostendat. Nam si vel [47] modicum de forte, vel usuris [48] in debito perseveret: distractio rei obligatæ non potest impediri: neque ea ratione emptor, tametsi sciat interpositam a debitore [49] creditori denunciationem, malæ fidei sit possessor. PP. 3. Non. August. GORDIANO A. & AVIOLA CONSS. 240.

## TIT. XXX.

## SI VENDITO PIGNORE AGATUR.

*Si creditor per fraudem minori pretio pignus vendidit, ad interesse debitoris tenetur.* Salic.

1. Imp. ALEXANDER A. Agrippæ.

PRæses provinciæ aditus, si fuerit probatum, tuum creditorem, cui jus distrahendi pignora fuit, dolo [50] malo fundum vendidisse: quanti tua interest, restituere tibi eminentem jubebit. Quod si [51] de bonis creditoris condemnati solvi pecunia non potuerit, & probatum fuerit, emptorem mala fide emisse: offerente [52] pretio in debitorem pignoris possessorem.

1 *l.* 2. *in fin. ff. de pign. act. l.* 3. *supr. de pignoribl. l.* 4. *l.* 18. *ff. de pign. act.*
2 *l.* 8. *in fin. ff. l.* 1. *l.* 2. *ff. si antiquior.*
3 Facti legitime venditio pignoris non revocatur: adde *l.* 85. §. 1. *ff. de reg. jur. & cap. ſaſtum.* 73. *de regulis in 6.*
4 Fraus venditoris bonæ fidei emptori non nocet. vid. *l.* 1. *infr. ſi vendita pignor.*
5 *l.* 5. *ff. ſi vendito pign.* 6 Præcedens oblatio, pignoris venditionem impedit: subsequens factum non revocat. adde *l.* 2. §. *qui bon. ced.* 7 Pignora specialiter obligata priore loco distrahuntur: posteriore generaliter obligata. 8 Vid. *l.* 3. *ſupr. h. t.* 9 Id est, res generaliter obligatas. dixi ad *l.* 2. *ff. qui potior.*
10 Creditor per interpositam personam rem sibi pignoratam emere non potest, *ut hic*, adde Paul. 2. *ſentent.* 13. §. 4. *l.* 8. §. *de pign. act.* adde *l.* 54. *ff. de obligg.* Palam potest emere. *l.* 3. §. 3. *f. de jure dominii*, aut ab ipso debitore *l.* 20. §. 3. *l.* 34. *ff. de pign. action.*
11 Qui jugiter tenet possessionem, eam non amittit. 12 *Suppoſitam d.* §. 4.
13 *d.* §. 20. §. 2. *d. l.* 34. 14 *ſupr. de dolo*, & *l.* 5. *ſupr. de rescindendis venditi.*
15 §. *de his qua vi metusve cauſſa l.* 8. §. *de rescind. vend.* 16 *l.* 7. §. *de rescind. vend.*
17 Dixi ad *l.* 4. §. *de legib.* adde *l.* 26. §. *de uſur. l.* 5. §. 3. *ff. de auctor. tut. Novell.* 22. c. 27. *verſ. Nunquæ ex ſecundis. Novell.* 123. *cap.* 2. *verſ. ſed eos omnibus illud.*
18 Actus *imaginarii* juris vinculum non obtinent. *l.* 54. *ff. de obligg.* 19 Bona fide, finceriter. vid. *l.* 1. *ſupr. de ſuffrag. l.* 2. *ſupr. ff. propter publ. penſit.* 20 Licet mulier pro alio pignus dederit, non tamen id creditor distrahere potest, nisi marito ejus uxoris obligante, similans ipsa non esse suas, creditorem ignorantem circumscripserit. *Syn. baſil. 6. tit.* 36. *ex lib.* 25. *tit.* 7. *capite* 32. 21 Mulier pro extraneo pignus dare non potest. *l.* 39. *in fin. l.* 40. *ff. de rei vind.* 22 Inutile est pignus quod alii vendi non potest. 23 *l.* 18. §. *ad SC. Velleian.* Mulier occultando rede pignorat.
24 Si maritus res uxoris velut proprias obligavit, sciente & dissimulante uxore, obligatio non rescinditur. 25 Debitor pignus potest vendere, salvo jure creditoris. *l.* 14. *l.* 15. *ſupr. de pignorib. l.* 3. *l.* 10. *ſupr. de remiſſ. pignor. l.* 18. §. 2. *ff. de pign. action. l.* 26. §. 2. adde qua notavi ad *l.* 20. §. 1. *ff. de adq. rer.* 27 Non venditione, sed traditione dominium transfertur. vid. *l.* 20. §. *de publ.* adde Ulp. 19. §. 7. *l.* 9. §. *de don. inter vir.* 28 Inductione vacuæ possessionis quæ fuit, in vacuam possessionem fit. dominium acquiritur. Non inductus itaque non fit dominus. 29 *l.* 18. *ſupr. de adds. tut.* vid. *l.* 4. §. *de pign. act.* 30 Creditor pignus etiam apud debitorem constitutum potest vendere. 31 Emptori pignoris legitimo rei vindicatio competit.
32 Vid. *l.* 1. §. *de tut. pign.* 33 Creditor chirographarius in præjudicium creditoris hypothecarii pignus vendere non potest. vid. *l.* 2. §. *de his, qui in priorum cred.* 34 Pignus a creditore jure venditum debitor non evincit. 35 Rectius juste emptionis. 36 Summis uxoris pignus adquisitum, non est uxoris. adde *l.* 26. *de pign.* 37 Justa est convento, si conveneris, ut quod ex venditione pignoris redegerit creditor, id omne creditor sibi habeat, *ut hic*, propter incertum eventum venditionis (quem rectè *ſortem hoſtarum* vocat lex *pen. C. Th. de præditis naviculis*) licet e contrario, valet convento, ut si creditor vel minimum redegerit in crediti vicem, eo fit contentus. *l.* 15. §. 3. *de re jud.* ut non ita pactum legis commissoriæ in pignoribus admittitur. vid. *l. de pactis. hoſtem & de l. eum.* 38 Pœna superfluo pretii. Emptum ex hyperocha, seu pretii vendiditi pignoris superfluo, non est debitoris. 39 Superfluum debitori servari debet. *l. ult.* §. 5. *l. de jur. dom.* & reddi. *l.* 24. §. 2. *in fin. ff. de pign. action.* si ex hyperocha feneret aut ea fit usus? usuras præstabit. *l.* 6. *in fin. ff. de pign. act.* quemadmodum si tardius idem superfluum redditit. *l.* 7. *d. t.* 41 Dixi ad *l.* 52. §. 2. *ff. de pign. act.*

42 Debitor venditionem pignoris testamento impedire non potest, *at vide*, & *l.* 114. §. 14. *ff. de leg.* 1. adde Cujac. 5. *obſ.* 16. 43 *l.* 38. §. 3. *ff. de leg.* 3.
44 Pignoris distractionem debitor non aliter impedire potest, quam si fortem universam & usuras offerat, vel faltem deponat. Nam si quid defuerit, non modo non impedit, sed ne emptor quidem malæ fidei possessor erit. *Synopſ. Baſil.* 2. *tit.* 7. §. 25. 45 Denunciatio debitoris non solennis pignoris venditionem non impedit.
46 Dixi ad *l.* 6. §. *de diſtract. pign.* adde *l.* 2. *l. de fideiuſſ.* l. 25. §. 13. *ff. ſolutis.* l. 9. §. 3. *D. de pignor. act. l.* 85. §. 6. *ff. de verb. obl.* 48 Adde *l.* 4. *ſupr. de uſur.*
49 Illegitima denunciatio debitoris emptorem pignoris in mala fide non constituit, nec rem litigiosam facit. *l.* 1. *l. de litigiof.*

50 *l.* 4. *l.* 7. §. *de diſtract. pignor.* 51 Debitori in emptorem malæ fidei restituitur in rem actio, creditore, qui pignus vendidit, non idoneo. *l.* 3. *h. t.*
52 *l.* 9. *ff. de reſcind.* Imo emptori malæ fidei pretium offerri non oportet, cum pretium amittere debeat. vide *l.* 27. *f. de evict.*

te pecuniam cum usuris, quanti fundus venit, restituere tibi fundum cum fructibus malæ fidei emptorem jubebit. PP. Kal. Septembr. ALEXAND. A. CONS. 223.

*Si creditor per fraudem minori pretio pignus vendidit, ad interesse debitoris tenetur.* Salic.

2. Idem A. Æmiliano.

SErvos, quos nullo [1] jure a creditore venisse dicis, pater tuus, vel [2] tu, si hereditas ejus ad te pertinet, a possessoribus petere potes. Quod si usucapti [3] sunt, petat pater tuus pretium eorum a creditore, qui non jure eos vendidit. PP. 3. Kal. Januar. ALEXAND. A. CONS. 223.

*Debitor, vel ejus heres pignus non jure distractum potest vindicare, nisi sit usucapium.* Salic.

3. Idem A. Claudio.

SI uxor tua Præsidi provinciæ probaverit, cum aureos triginta deberet, servos suos amplioris pretii per gratiam [4] aureis viginti [5] creditorem vendidisse, eumque solvendo [6] non fuisse: jubebit [7] emptores, recepto pretio, restituere servos. PP. 16. Kalend. Octobr. MAXIMO II. & ÆLIANO CONSS. 224.

*Debitor pignus jure non distractum potest a possessoribus vindicare, vel pignoratitia cum creditore agere.* Salic.

4. Imp. GORDIANUS A. Eudemo.

CUm [8] contra bonam fidem venditionem obligatæ possessionis a creditore factam alleges, non observatis [9], quæ in distrahendis pignoribus celebrari consueverunt, adito Præside provinciæ experire actione competenti non tantum adversus creditorem, verum etiam [10] adversus possessorem, si fraudem cum participasse [11] cum creditore docere potueris: ut revocatis, quæ mala fide gesta constiterit, & fructuum ratio, & damni, quod irrogatum apparuerit, haberi possit. PP. Kal. April. SABINO II. & VENUSTO CONSS. 241.

*Emptor, qui participat fraudem, tenetur in subsidium, si creditor non est solvendo.* Salic.

5. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Noniæ.

SI creditore pignus, priusquam ei satisfieret, distrahente, non per collusionem emptor comparaverit, successor [12] ejus de superfluo [13], non emptoris heres, qui rem possidet, conveniendus est. S. 16. Kal. Januar. *Nicomediæ*, CC. CONSS.

## TIT. XXXI.

## DE [14] LUITIONE PIGNORIS [15].

*Nisi debitum integraliter solvatur, pignus non recuperatur.* Bald. *Justus emptor non debet pati controversiam: sed debet conveniri creditor, vel ejus heres.* Bald.

1. Impp. SEVERUS & ANTONINUS AA. Antiochiæ.

QUi pro parte heres extitit: nisi [16] totum debitum exolvat, suam portionem ex pignoribus recipere non potest. PP. 3. Kalend. April. ALBINO & ÆMILIANO CONSS. 207.

*Actione personali sublata tempore, potest durare hypothecaria.* Salic.

2. Imp. GORDIANUS A. Domitio.

INtelligere debes vincula pignoris durare [17] personali actione submota [18]. PP. 12. Kal. Jun. SABINO, & VENUSTO CONSS. 241.

*Soluto debito, vel aliter satisfacto, potest creditor pignoratitia conventori.* Bald.

3. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Floro.

SI reddita [19] debita quantitate, vel rebus [20] in solutum datis sive distractis, & compensato pretio, satis ei, contra quem supplicas, factum esse adito Præside provinciæ probaveris: vel si quod reliduum [21] debetur, obtuleris, ac, si non acceperit, deposueris confignatum: restitui tibi res pacto pignoris obligatæ providebit: cum etiam Edicto perpetuo actione proposita, pecunia soluta creditori, vel si per [22] eum factum sit, quominus solveretur, ad reddenda [23] ea, quæ pignori acceperat, jure eum satis evidenter urgeri, manifestum est. S. 6. Id. Octobr. AA. CONSS.

## TIT. XXXII.

## SI UNUS EX PLURIBUS HEREDIBUS CREDITORIS, VEL DEBITORIS [24], PARTEM SUAM DEBITI SOLVERIT, VEL ACCEPERIT.

*Inter heredes creditoris personalis actio dividitur pro rata, non realis hypothecaria.* Salic.

1. Impp. VALERIAN. & GALLIEN. AA. Tauro.

MAnifesti, & indubitati juris est, defuncto creditore [25] multis relictis heredibus, actionem quidem personalem inter eos ex lege [26] XII. tabularum dividi [27]: pignus vero in solidum unicuique teneri. Dat. 12. Kalend. Maji, ipsis AA. IV. & III. CONSS. 258.

*Licet actio personalis dividatur pro rata inter heredes debitoris, non tamen hypothecaria, sed unusquisque conveniter pro rebus a se possessis.* Salic.

2. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Claudiæ.

ACtio quidem personalis inter heredes [28] pro [29] singulis portionibus quæsita scinditur [30]: pignoris autem jure multis obligatis rebus, quas diversi possident: cum ejus vindicatio non [31] personam obliget, sed rem sequatur: qui possident, tenentes non pro modo singularum rerum subitantiæ conveniuntur, sed in solidum: ut vel totum debitum [32] reddant, vel eo, quod detinent, cedant. S. 5. Non. * *Antiochiæ.*

## TIT. XXXIII.

## SI PIGNORIS CONVENTIONEM NUMERATIO [33] PECUNIÆ SECUTA NON FUERIT.

*Debitor potest creditorem, qui pecuniam non numeravit, ad restitutionem pignoris convenire.* Salic.

1. Impp. SEVERUS & ANTONINUS AA. Illaro.

SI pecuniam [34] tibi non esse numeratam, atque ideo frustra cautionem emissam adseris, & pignus datum probaturus es, in rem experiri potes: nam intentio [35] dati pignoris, neque redditæ pecuniæ, non aliter tenebit, quam si de fide debiti constiterit. Eademque ratione veritas servetur, si te [36] possidente pignus adversarius tuus agere cœperit. PP. Kalend. Sept. LATERANO & RUFINO CONSS. 198.

2. Imp. ALEXANDER A. Peregrino.

SI (ut nunc adseveras) nihil creditor numeravit uxori tuæ, quæ pignus dedit, sed inanem [37] exsortit cautionem: mendaci scriptura contra fidem veritatis obligari ejus res non potest. Sine die & consule.

## TIT. XXXIV.

## DE [38] JURE DOMINII IMPETRANDO [39].

*Impetrans possidere pignus jure dominii, debet exprimere nomina debitorum cessantium, & solennia peregisse.*

1. Imp. ALEXANDER A. Nicolæ.

DOminii jure pignora possidere desiderans, nomina debitorum quos in solutione cessare dicis, exprimere, & an solennia [40] peregiti, significare debuisti: dummodo scias omnia bona [41] debitoris, quæ pignori dedit, ut universa dominio tuo generaliter addicantur, impetrare te non possis. PP. 14. Kal. Dec. ALEXAND. AUGUST. III. & DIONE CONSS. 230.

1 Id est, non observatis solennitatibus. *l.* 2. *f. ced. l.* 2. *ſupr. ſi propt. publ. penſit. l.* 3. *ſupr. ſi adverſ. diſt.* 2 Vid. Cujac. 7. *obſ.* 26. *in fin.* 3 Debitor ejusve heres pignus non jure distractum vindicare potest, nisi sit usucaptum: quo casu interest tertiæ. 4 Et ita dolo malo. *l.* 1. *ſupr. h. t.* 5 Id est, minore pretio.
6 *l.* 1. *verſ. quod ſi ſupr. h. t.* 7 Emptor fraudis particeps tenetur in subsidium, si creditor non est solvendo. *cl.* 1. *l.* 2. *f. ced.* 8 Vid. Cujac. 19. *obſ.* 28. 9 Id est, omissis solennibus, id est, inditionibus, adjectionibus, licitationibus: vel si is venditit, qui jus vendendi non habuit. 10 Discusso tamen prius venditore.
11 *l.* 3. *ſupr. h. t.* 12 Actio *de ſuperfluo* datur in heredem venditoris, non emptoris.
13 *l.* 7. *ſupr. de diſtr. pign.*

14 Jus luendi pignoris an præscribatur, dixi ad *l.* 13. *ff. de uſurpat.* 15 Id est, quibus modis pignus solvitur. *L.* 20. *D.* 6. est enim luere, solvere. Varro 4. & 5. *de lingua.* hinc veluere, resolvere *Feſt. in voluere.* Sic Festo *reluit*, est solvit. 16 *l.* 16. §. *de diſtr. pign. l.* 8. §. 2. & *l.* 9. §. 3. *ff. de pig. act.* 17 Quod hic dicit actione personali tempore sublata durare pobe hypothecariam, contra juris principia est. Nam subdicta principali non remanet hypothecaria. vid. Cujac. 15. *obſ.* 23. Sed conjungenda est hæc lex superiori hoc modo: Debitori pignoris duo heredes fuerunt: si pro sua parte illi solverint, omni jure actio personalis tolletur: at non hypothecaria qua heredes tenentur in solidum propter individuam pignoris causam. *l.* 65. *ff. de evict.* vid. Cujac. 6. *obſ.* 32. Aliis quoque casibus, finita etiam personali actione, durat hypothecaria, ut si creditor non merito cauſæ, sed meiro & culpa sua principalem item amiserit. forte quis male infitiatus, plus petit, judicio non adhuit. *l.* 30. §. 1. *ff. ad l. Aquil. l.* 27. *ff. de pign. act. l.* 95. §. *ff. de ſolutionibus.* Nam in causa hypothecaria nullum simile vitium arguitur. vide Cujac. *hic.* 18 Hypothecaria durat, sublata personali, *at vide* quod verum esse id citat, etiamsi personalis actio sit fublata, vel præscriptione triginta annorum ex *l. ſecund.* 3. *ſupr. de præſcript.* 30. *vel* 40. *annorum.* Bald. Salicetus hic. Castrensis *in l. ea.* 26. §. *de uſuris*, vel confusione successionum. *l. debitori.* 7. *ſupr. de pactis.* & *ibi* Alex. *l. debitor.* 59. *ff. ad SC. Trebell. text.* & *gl. in l. ex ſextante.* 30. *l. ſtimus. ff. de except. rei judic.* Quinimo sublata hujusmodi actione durat etiam hypothecaria. *l. cum quis.* 38. *in fin. & ibi* Bart. *ff. de ſolut.* Nam hujusmodi obligatio neque initio, neque ex post facto fine principali potest subsistere. *l. ſi heres.* 73. *ff. ad SC. Trebell.* hypothecaria ex post facto fine principali potest constitere. *Doctor. hic. Castrenſ. in l. ult. ſupr. de pignor.* Quid si fluentia ab debitoria lata est pro debitore adversus creditorem? Quid si jurejurando sibi a creditore delato, debitor jurarit le debitorem non esse? Quid si quoquo justo modo satisfactum est creditori? hypothecaria superioribus casibus non cum ipsa principali actione sublata intelligitur. *l.* 1. *in prin. & §. ult. l. ſolvitur.* 5. *tutor. & §. 1. l. item liberatur.* 46. *ff. quib. mod. pign. l. cum ſoluendo.* 4. *ff. de diſtract. pign.* Quid, quæ vita quodque spatium est personalis & hypothecariæ? Personalis triginta annorum: hypothecariæ adversus debitorem, & heredes eius *teſtimi. 7. ſupr. de præſcript.* 30. *vel* 40. *ann.* Citius perit ita calibus personalis quam hypothecaria, *ut hic*, *l. qui occidit.* 29. §. 1. *ff. ad l. Aquil. l. debitor.* 59. *ff. ad SC. Trebell.* vide Baltum *tractatu de præſcript.* 4. *parte* 4. *num.* 2. Bart. *in l.* 17. *ff. de pignorat. act.* 19 Soluto, satisfacto, aut compensato debito, pignus petitur, *ut hic. l.* 1. *ſupr. de pignor. l.* 7. *ſupr. de diſtr. pignor. l.* 4. §. 1. *ff. de reb. credit. l.* 11. §. 3. 8. *ff. de pignor. actione. l.* 11. *l.* 2. *ff. de reb. credit. l.* 11. §. 3. 8. *ff. de pignor. inſtrumentum. l. ult. ſupr. ad exhibend. l.* 2. *ſupr. de tendit. ex lege. l. ult. J. de ſolut. l.* 18. *ff. ad exh.* 20 Res in solutum dari potest. 21 De residui oblatione adde *l.* 9. *ff. de pignor.* 22 Mora factum repræsentat. 23 *l.* 1. §. 6. *ff. de obligg.*
24 *l.* 16. *ſupr. de diſtr. pignor. l.* 1. *de exceptionib.* 25 De creditoris hereditibus, adde *l.* 11. §. 4. *ff. de pign. act.* 26 Dixi ad *leges* 12. *Tabul. lib.* 2. *tit.* 21. §. 2. §. 3. §. 4. §. 8. 13. *ff. familiæ*, adde *l.* 6. *ſupr. familiæ.* 27 Personalis actio dividua: pignoratitia, seu hypothecaria actio individua, *ut hic*, *l.* 2. *l. h. t. l.* 65. *ff. de eviction.*
28 Debitoris licitet. 29 Vide *l.* 1. §. *fi cert. petat.* 30 Dixi ad *l.* 1. *ſupr. h. t. l.* 2. *ſupr. de act. her.* 31 Pignus non personam, sed rem sequitur. *l.* 18. *ſupr. & l.* 17. §. *de pign. & hyp.* 32 Hæc lex pertinet ad heredes debitoris, ut superior ad heredes creditoris.
33 Adde titulum *V. de non numerata pecunia*, & *de date exacta non numerata.*
34 *l.* 1. *ſupr. de non num. pecun.* 35 Id est, exceptio, cujus hæc fuit formula, ἀναπληρωτικὴ τῆς χρεώσεως. Græci hic: hæc est exceptio dati pignoris: Creditor ex detentione pignoris numeratam a se pecuniam colligebat, necdum sibi redditam a debitore. Conclusio est infirma: reputrendum est enim ad ipsam rei gestæ veritatem, ideoque non continuo verus creditor censebitur, qui pignus possederit aut possidebit.
36 Qui debitor dicitur, fall. ideoque nuda conventio pignoris causa pignoris constituti non tecuta, nihil efficit. 37 Inanis hypotheca est, pecunia non numerata.
38 Adde *l.* 24. *ff. de pign. act. l.* 67. *in fin. ff. de acq. rer. dom.* Jus id dominii quemadmodum impetretur, vide in *l. ult. J. h. t. l.* 63. *in fin. ff. de acq. rer.* 39 Vide Brisonium 4. *ſelect.* 9. 40 Rebuffus monet solennia hujus tituli non fervari in Gallia, *praxim conſtit. gloſ.* 1. *numer.* 103. Goth. Vid. Molinæum *ad conſuetud. Pariſ. §.* 52. *gloſ.* 1. *num.* 114. & Revardum *de auctor. prudent. cap.* 5. Mod. 40 *l.* 3. *J. h. t.* his solutionibus continetur denunciatio debitori facta. *l.* 4. §. *de diſtr. pign.* Paul. 2. *ſent.* 13. §. 5. *l.* 72. §. 6. *ff. ad SC. Trebell.* proscribitio. Plin. 7. *ep.* 11. *l.* 5. *in pr. J. h. t.* bullarum solennitas. adde *l.* 6. *ſupr. de remiſſion. pign.* 41 Specialis hypothecæ dominium principes potest addicere, non autem generaliter.

2. Imp. GORDIANUS A. Justæ.

SI creditor pignus jure dominii a nostra [1] ferenitate possidere petiit, & post formam rescripti alio anno usuras [2] a vobis acceperit, a beneficio impetrato recessisse videtur. PP. prid. Non. Decembr. PIO & PONTIANO CONSS. 239.

*Antiqua observatione sublata, debitor moneatur, ut certo tempore solvat: quo elapso, a principe dominium impetratur.* Bart.

3. Imp. JUSTINIANUS [3] A. Demostheni P. P.

VEtustissimam observationem [4] quæ nullatenus in ipsis rerum claruit documentis, penitus esse duximus amputandam, immo magis clarioribus remediis corrigendam. Igitur in pignoribus quæ jure dominii possidere aliquis cupiebat, proscriptio [5] publica, & annus [6] luitionis antiquitus introducti sunt: pignus autem publice proscriptum, neque vidimus, neque (nisi tantummodo ex librorum recitatione) audivimus. §. 1. Sancimus [7] itaque, si quis rem creditori suo pignoraverit, si quidem in [8] pactione [9] cautum est, *quemadmodum debet pignus distrahi*, sive in tempore, sive in aliis conventionibus, ea observari [10], de quibus inter creditorem & debitorem conventum est. Sin autem nulla pactio intercesserit, licentia dabitur fœneratori ex denuntiatione [11] vel ex sententia judiciali [12], post [13] biennium ex quo attestatio missa, vel sententia prolata est, numerandum, eam vendere [14]. §. 2. Sin vero nemo [15] est qui comparare eam maluerit, & necessarium fiat creditori saltem sibi eam jure dominii [16] possidere: in hujusmodi casibus [hanc] causam esse observandam censemus, ut sive præsens sit debitor, denunciatio ei fcil. post biennium mittatur: sive absuerit, provinciale tribunal creditor petat, & judicem certiorare [17] festinet, quatenus ille eum requisierit, certo tempore super hoc ab eo statuendo: ut fiat debitori manifestum per apparitionem [18] judicis, quod a creditore petitum est: & certum tempus statuatur, intra quod si fuerit inventus debitor, debet is qui pecunias creditas accepit, debitum offerre, & pignus recuperare. §. 3. Sin autem nullatenus fuerit inventus, Judex certum tempus definiat intra quod ei licentia dabitur sese manifestare, & offerre pecuniam, & pignus a pignoratione liberare. Sin autem tempore statuto, vel minime fuerit inventus, vel creditam pecuniam totam offerre noluerit: tunc creditor adeat culmen principale, & precibus porrectis, jure dominii [a nostra ferenitate] habere eandem rem expetat, habeatque ex divino oraculo eam in suo dominio. † Et postquam hoc fuerit subsecutum, pietatis intuitu habeat debitor intra [19] biennii tempus in suam rem humanum regressum [20], ex die sacri oraculi numerandum: & liceat ei, creditori qui jam dominus factus est, offerre debitum cum usuris, & damnis vitio ejus creditori illatis: quorum quantitatem creditor debet suo juramento [21] manifestare, & suum pignus recuperare. Sin autem biennium fuerit elapsum, plenissime habeat rem creditor, idemque dominus jam irrevocabilem factam. §. 4. Sed si quidem minus [22] in pignore, plus in debito inveniatur: in hoc quod noscitur abundare, sit creditori omnis ratio integra. Sin autem ex utraque parte quantitas æqua [23] inveniatur, sine omni dubitatione totam rem antea pignoratam retineat. Sin autem minus [24] quidem in debito, amplius [25] autem in pignore fiat: tunc in hoc, quod debitum excedit [26], omnia debitori jura integra lege nostra servabuntur: creditoribus quidem fœneratoribus non suppositum, aliis autem debitoris creditoribus, vel ipsi debitori servatum. Et ne ex communione fiat aliqua difficultas, licentia dabitur creditori, seu domino, æstimationem superflui debitori, vel creditori debitoris cum competenti cautela in eum exponenda offerre [27]. §. 5. Sin vero creditor postquam jure dominii hoc possideat, vendere hoc maluerit, liceat quidem ei hoc facere: si quid autem superfluum sit, debitori servare [28]. Sin autem dubitatio exorta fuerit pro venditione, utpote viliore pretio facta, sacramenti [29] religionem creditor præstare compellatur, quod nulla machinatione, vel circumscriptione usus est: sed tanti [30] vendiderit rem, quanti potuerit venire: & hoc tantummodo reddi debitori quod ex juramento superfluum fuerit visum. Sin autem ex jurejurando [etiam] minus habuisse creditor inveniatur, in residuum habeat integram actionem. §. 6. Æstimationem autem pignoris, donec apud creditorem eundemque dominum permaneat, sive amplioris sive minoris, quantum ad debitum quantitatis est, judicialis esse volumus disceptationis: ut quod Judex [31] super hoc statuerit, hoc in æstimationem pignoris obtineat. Dat. 15. Kalend. Aprilis, *Constantinop.* LAMPADIO, & ORESTE VV. CC. CONSS. 530.

TIT. XXXV.

DE PACTIS [32] PIGNORUM ET DE LEGE [33] COMMISSORIA [34] IN PIGNORIBUS RESCINDENDA.

*Lex commissoria in pignoribus nihil operatur.*

1. Imp. ALEXANDER A. Victorino.

QUi pactus est, *Nisi* [35] *intra certum tempus pecuniam quam mutuam accepit, solveret, cessurum* [36] *se creditoribus*, hypothecæ venditionem non contraxit [37]: sed id comprehendit, quod jure suo creditor in adipiscendo pignore habiturus erat. Communi itaque jure creditor hypothecam vendere debet. PP. Id. Octob. ALEXANDRO A. CONS. 223.

*Pactum quod si res vendita non evincatur, alia res pro ea obligata debitori redditur, est validum & servandum.* Bald.

2. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Dionysio.

SI fundi nomine quem vendideras, emptori ab alio mota proprietatis quæstione, alterum fundum pro ejus evictione pignoris hypothecæve titulo emptionis instrumentis ea lege dedisti, *Ut* [38] *quem secundo tradideras, si is quem vendideras, evictus non fuerit, obtineat:* de hoc contra eum qui moverat quæstionem lata sententia: emptori parata fecuritate circa eum quem obligaveras restituendum: conventionis fidem impleri (si negotium integrum est) Præses jubebit. Kalend. Decemb. *Sirmii*, AA. CONSS.

3. Imp. CONSTANTINUS A. ad populum.

QUoniam [39] inter alias captiones [40] præcipue commissoriæ [pignorum] legis crescit asperitas, placet infirmari eam, & in posterum omnem ejus memoriam aboleri [41]. Si quis igitur tali contractu laborat, hac sanctione respiret, quæ cum præteritis [42] præsentia quoque repellit, & futura prohibet. Creditores enim re amissa jubemus recuperare quod dederunt. Dat. 2. Kal. *Serdicæ*, CONST. A. VII. & CONSTANTIO C. CONSS. 327.

TIT. XXXVI.

DE EXCEPTIONIBUS [43] SEU [44] PRÆSCRIPTIONIBUS [45].

*De debitoribus hereditariis.*

1. Imp. ANTONINUS A. Claudio.

DEbitores quidem hereditarii unicuique heredum pro portione hereditaria, antiqua lege [46] obligati sunt. Sed si eis heredibus omnem pecuniam exolviti, quibus nomen [47] patris tui testator in divisione adscripserat [48], doli mali exceptione [49] adversus alios [50] agentes tueri te potes. PP. 10. Kal. Aug. DUOBUS & ASPRIS CONSS. 213.

*De exceptione rei judicatæ.*

2. Idem A. Julio.

PRo portione tua, qua domum ad te pertinere dicis, si judicatum non est, actionem dirigere potes. Nam exceptio rei judicatæ [51] demum obstat, vel successoribus ejus, inter quos cognitum super re & pronunciatum est. PP. 15. Kal. Mart. ANTONINO A. IV. & BALBINO CONSS. 214.

*De exceptione pacti & replicatione doli.*

3. Idem A. Vitali.

ADversus fratrem [52] tuum quondam tutorem legitimum tutelæ judicio si expertus non es, proposita actione consiste: nec timueris exceptionem pacti, si in ea fraudem [53] dolumque admissum probare [54] potes: nam replicatio [55] doli opposita [56] bonæ fidei judicium facit, & commentum fraudis repellit.

1 *l. ult. ff. si in caus. judic. l. 24. ff. de pig. act. l. 59. ff. ad SC. Treb. l. 63. in fin. ff. de acq. rer. dom.* 2 Dominio impetrato renunciat, qui usuras a debitore recipit. *l. 4. C. de pactis int. empt. l. 8. C. de usur. l. 7. 8. quoties. 2. in fin. ff. depositi.* Actu enim contrario beneficium amittitur. *l. 2. C. de his quæ vi metusve causa. l. 4. C. 2. in fin. l. 7. ff. de lege commiss. l. 13. ff. de usur.* 3 Fit hujus legis mentio *C. 1. Instit. quib. alien. licet.* 4 Dixi *ad l. 1. C. 8. ff. t.* 5 Plinius *7. epistol. 1. l. 4. sugr. de distract. pign.* 6 *l. 63. in fin. ff. de adquir. rerum dominio.* 7 *Syn. Basil. 25. tit. 7. c. 57.* 8 *l. 4. C. de pignorat. act.* 9 Pacta pignoribus adjecta servanda. Quid si nihil convenit, sed post rem judicatam, vel denunciationem biennium prætercirit? pignus vendere licebit, *verf. sin autem.* Quid si creditor emptorem non invenit, adeoque necesse sit, creditorem jure dominii rem possidere? Præsenti debitori denunciabitur: abiens judicis decreto atque officio intra certum tempus requiretur; si inventus debitum solverit, pignus recuperabit. *C. 2. 3. eod.* si nusquam apparuerit, rursum judex tempus statuet intra quod veniat, & debitum solvat & pignus reciperet. Quid si ne tum quidem comparet: aut certe compareat, partem tamen debiti offerens? adito principe, creditor pignus jure dominii imperare poterit. *C. 3. C. hic.* Quid? debitor nim perpetuo jus dominii in amittit? non amittit. Nam intra biennium, jus ei est debiti offerendi una cum usuris & damnis creditori datis, quæ juxtas creditor judicabit, *C. 3. verf. & postquam.* Quid si hoc tuvius biennium elapsum fuerit? jus omnino tum amittet sine ulla rei recuperandæ spe. *Synopf. Basil. 20. tit. 7. c. 57.* (His adde quædam ex Harmen. *3. tit. C. 8. 34.*) Et his quidem modis jus dominii impetrari olim solitum fuit. Creditor primum pignus possidebat, ac venale proponebat. Non invento emptore, vel minus idoneo, a principe impetrabat, ut sibi jure dominii tenere haberesque liceret: dato anni spatio debitori pignoris luendi ac revocandi. Anno elapso creditor deinceps ex rescripto principis pro dominio pignus possidebat: adde Brissonium *ad stleph. 9.* 10 *d. 8. 11.* 11 Paul. *2. sent. 13. 8. 8.* 12 Vide *l. 1. l. 2. 8. ff. in causa judic.* 13 Creditor, etiamsi nihil de eo convenit, potest pignus distrahere post biennium, si tamen debitori denunciaverit, vel judex pronunciaverit pecuniam solvi. vid. *l. 4. ff. de pignorat. act.* Goth. Putant alii ex *d. l. 4.* distrahionem pignoris etiam ante biennium fieri posse, late Arum. *exerc. 12. th. ult.* Donell. *de pignor. cap. 12.* Anf. Adde Treutler. *vol. 2. disputat. 1. thef. 8. litt. g.* Sibi il chov. *S. L.* 14 De servis pignoris. 15 *l. 2. 8. de exercat. vel. inst. l. 2. l. 3. 8. ff in causa judic. l. 15. 8. 2. ff. de in jud.* 16 De dominii impetratione. 17 Admoneri. 18 Per officia. 19 Non invento tempore creditori a principe jus dominii additur: fed tamen intra biennium debitor foluta forte & usuris id recipere potest. 20 De luitione pignoris. 21 Creditor expensas a se factas in pignore, juramento definit. 22 Si minus in pignore, plus in debito, adde *l. 10. 8. de dol.* 23 Si tantum in pignore, quantum in debito. 24 Si minus in debito, plus in pignore. vide *l. 42. ff. de pignor. act. l. ult. 8. de distract. pign.* 25 Quid si in fundo sic addicto creditor thesaurum invenit? vide *l. 63. 8. ult. ff. de acq. rer. dom.* 26 Superflum pretii creditori non est obligatum. 27 Vide *l. 2.* 28 Vide *l. ult. 8. de distract. pign.* 29 De juramento creditori delato adde *8. 2. 8. eodem.* di-

si ad *l. 9. 8. 1. ff. de teftib.* 30 Id est, justo pretio. 31 Judex æstimationem pignoris definit.

32 De quibus quædam dixi ad *l. ult. 8. de distract. pign.* adde *L. 20. D. 1.* 33 De lege commissoria pignorum adde Ciceronem *13. epist. fam. 56.* 34 *l. 3. C. Theod. de fidei. l. 18. ff. 3.* Paul. *2. sent. 13.* quæ & fiduciaria: Fiducia dominium transferte in creditorem, non pignus. *l. 35. in fin. ff. de pign. act.* Hid. *5.* Etym. Fiducia fuisse Cicero *pro Flacc.* In Longobardicis legibus fiduciæ fit mentio. *l. 3. de don. quæ cum nupt. l. 2. 8. de prohib. alien. inter. &c. Th. l. 9. C. de inoffic. test. quæ sub tyrannis.* Sibonii *4.* Pecuniam mutuam postulavit, nihil quidem loco fiduciæ pignorisve, vel argenti fegitrans, vel obligans prædiorum: Ambrosius *c. 12. de Tobia.* fiduciam vocat. 35 Pactum commissorium, id est, lex commissoria. *l. 2. ff. de lege comm.* pignoribus alienatur *l. 6. 8. adde l. 38. ff. de minor.* Quid his verbis intelligitur? hoc scil. non ut creditor pignus habeat emptionis jure, sed ut id creditor jure suo distrahat, *ut hic.* unde colligunt, pactum potius censeri superfluum esse, quam juri contrarium. 36 Pactum, ut pignoris fiat dominus creditor, si intra certum tempus pecunia ei soluta non fuerit, irritatur est, *ut hic. Synopf. Basil. 25. tit. 7. c. 60.* 37 Vide *l. 4. 8. de pign. act.* 38 Cum rei quam tibi vendideram, fieret tibi controversia, pignus cedi, adversus adorem petitum est: pignus utique jure possum petere, ut cessante causa propter quam pignus datum est, pignus reddi oportaret. 39 Vide *l. un. C. Theod. h.t.* 40 Captiosa lex commissoria in pignoribus. Lex hujusmodi fuit, ut si ad diem pecunia soluta non esset, pignus creditor sibi haberet, id est, perpetuo jure apud creditorem remaneret: Huic conventioni fraus inest maxime, quoties pro ære modico debitor pretiosa monilia supponit. 41 Abolentur lex pignorum commissoria, *ut hic:* Abolerat eadem in Fendit *1. Feud. 29.* 42 Lex ad præsentia & futura pertinet. *l. 7. 8. de legibus*, interdum trahitur ad præterita. vide *l. un. 8. 4. 8. de contrahib. jud.* Goth. Adjectione tamen juramenti ejusmodi pactum valebit. Gloss. *in cap. 9. extr. de jurejur.* Vid. Rittershus. *de differ. lib. 3. cap. 4.* Anf. Merend. *Controv. lib. 1. cap. 2.* Anf.

43 Dixi ad *l. 44. D. 2.* 44 Id est, *Et*, est enim exceptio & præscriptio: Imo non est, ut dixi, *ff. de exceptionib. in rubrica & l. 14. l. 20. ibi.* 45 *d. loco.* 46 Duodecim Tabularum scil. dixi *8. si unus ex plurib. hered. & ad leg. 12. Tab. lib. 2. tit. 21. 8. ult.* 47 Quod uni heredum solutum est tantundem manuato, reliqui coheredes id exigere a debitore hereditario non possunt. 48 Id est, præbuerat. 49 Ut quæ functi voluntatem impugnent. 50 Coheredes. 51 Vide *l. 1. 8. res int. alios.* 52 Vid Gerald. *de contrab. ftipul. cap. 8. num. 35.* Anf. 53 Pactum fraudulentum exceptionem non parit. vide *l. 3. 7. de inut. ftip.* 54 *l. 18. 8. 1. ff. de probat.* 55 Actioni tutelæ quæ bonæ fidei est, exceptio & replicatio doli inest. *l. 2. ff. de dol. l. 84. 8. 5. ff. de legat. 1. l. 71. ff. de furt.* 56 Doli exceptio opposita bonæ fidei judicium facit. Dorotheus ἐν τῇ πλάτει. *l. Scia. 42. ff. de don. inter. conf.* Sed reprehenditur ab alio interprete Græco *l. 47.* βασιλικῶν, defenditur a Cujac. *3. obs. 17.*

De



*De dilationibus.*

4. Imp. ALEXANDER A. Juliano & aliis.

CUm [1] nondum [2] finitam sententia causam, sed dilatam allegetis, non est dubium, omnes integras defensiones [vobis] esse. PP. 2. Non. Octob. MAXIMO II. & ÆLIANO CONSS. 224.

*De vi.*

5. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Basilio.

LIcet *Unde vi* interdictum intra [3] annum locum habeat, tamen exceptione [4] perpetua succurri ei, qui per vim expulsus post retinuit possessionem, auctoritate juris manifestatur. 5. Kal. Maji, *Vrsallis*, AA. CONSS.

*De exceptione pacti & replicatione doli.*

6. Iidem AA. & CC. Helenæ.

SI pactum intercessit, in exceptione [5] sine temporis præfinitione de dolo replicare potes. S. Kal. Sept. *Viminacii*, AA. CONSS.

*De minore quantitate soluta.*

7. Iidem AA. & CC. Menandro.

SI ex majore debiti quantitate minor tibi soluta est, nec liberationem debitori tuo præstitisti: petere, quod [6] non probatur reditum, contra exceptionem pacti replicatione [7] tuam adjuvans intentionem, minime prohiberis. S. 2. Kal. Mart. CC. CONSS.

*De exceptione peremptoria.*

8. Iidem AA. & CC. Aurelio.

PRæscriptionem peremptoriam [8], quam ante [9] contestari sufficit, omissam, priusquam sententia feratur, objicere quandoque licet. S. 15. Kalend. Novemb. CC. CONSS.

*De inficiatione & exceptione.*

9. Iidem AA. & CC. Mutiano.

SI quidem intentionem [10] actoris probatione [11] deficere confidis, nulla tibi defensio necessaria est. Si vero de hac confitendo [12], exceptione te munitum asseveras, de hac tantum agi convenit. Nam si etiam de intentione dubitas: habita exceptionis contestatione, tunc demum, cum [13] intentionem [suam] secundum asseverationem suam petitor probaverit, huic esse locum monstrari convenit. S. 3. Non. Novemb. *Biztadizi*, CC. CONSS.

*De exceptione & replicatione.*

10. Iidem AA. & CC. Aquilinæ.

NOn exceptionibus [14] actores, quibus reis auxilium tribuitur certis ex causis, sed replicationibus [15] suam intentionem, si quam habeant, muniant. S. Kal. Decemb. *Nicomediæ*, CC. CONSS.

*De intercessoribus.*

11. Iidem AA. & CC. Neoni.

DEfensiones sive exceptiones ad [16] intercessores extendi, quibus reus principalis integro manente statu munitus est, constat.

*De exceptione dilatoria.*

12. Imp. JULIANUS A. ad Julianum Comitem Orientis.

SI quis advocatus inter exordia litis prætermissam dilatoriam [17] præscriptionem postea voluerit exercere; & ab hujusmodi opitulatione submotus, nihilominus perseveret, atque præposteræ defensioni inliterit: unius libræ auri condemnatione multetur. Dat. 7. Id. Mart. *Antiochiæ*, JULIANO A. IV. & SALLUSTIO CONSS. 363.

*De fori præscriptione.*

13. Impp. HONOR. & THEOD. AA. Symmacho Proconsuli Africæ.

PRæscriptiones [18] fori [19] in principio [litis] a litigatoribus opponendas esse, legum decretis auctoritas. Dat. 5. Kal. Sept. *Ravennæ*, HONORIO X. & THEODOSIO VI. AA. CONSS. 415.

TIT. XXXVII.

DE [20] LITIGIOSIS [21].

*Venditio pignoris facta per creditorem, etiamsi debitor contradicat, non facit rem litigiosam.* Salic.

1. Impp. SEVERUS & ANTONINUS AA. Paulinæ.

CUm creditor pignus vendit, non potest videri litigiosæ rei emptio contrahi, etsi debitor interdicat [22], *ne venditio perficiatur.* PP. Kal. Maji, APRO & MAXIMO CONSS. 208.

In AUTH. de litigiosis. §. 1. coll. 8. tit. 13. al. 8. Novell. 112. c. 1.

*Litigiosa* [23] *res est, de cujus dominio causa movetur inter possessorem, & petitorem, judiciaria conventione, vel precibus Principi oblatis, & Judici insinuatis, & per eum futuro reo cognitis.*

*Actio mota in judicio, lite pendente in alium non potest transferri.*

2. Imp. CONSTANTIN. A. ad provinciales.

LIte [24] pendente actiones, quæ in judicium deductæ sunt, vel res, pro quibus actor a reo detentis intendit, in conjunctam personam, vel extraneam donationibus, vel emptionibus, vel quibuslibet aliis contractibus [25] minime transferri ab eodem actore [26] liceat: tanquam [fi] nihil factum sit, lite nihilominus peragenda. Dat. Kal. Mart. BASSO, & ABLABIO CONSS. 331.

*Ubi legatur res, quæ alienari non potest propter judicium præcedens, debetur æstimatio.* Bald.

3. Imppp. GRATIAN. VALENT. & THEOD. AAA. Tatiano P. P.

QUicunque rem litigiosam, vel ambiguum chirographum, quodlibet denique mobile, vel immobile fisco nostro, vel potentiori, seu aliis personis in testamento sive codicillo legaverit [27], fideive commiserit, aut per hereditatem reliquerit, nullam fiscus noster, vel alia persona licentiam habeat jurgiorum, nec judicium subeat: sed æstimatio ejus litis ineatur, prætanda his, quibus actiones, vel res litigiosæ relictæ sunt. Eandem litem ipsi heredes peragant, suarum actionum periculo ea, quæ litigiosa fuerant relicta, vindicantes. Quod & de chirographis placet, ut heredes relictorum fisco, vel aliis personis præsentem pecuniam numerent, & judicio eos, quos obnoxios existimant, persequantur. Dat. 15. Kal. Jul. *Thessalonicæ. Item rursus* Constant. 13. Kalend. Januar. GRATIANO V. & THEODOSIO AA. CONSS. 380.

*Emens scienter rem litigiosam tenetur illam restituere, nec pretium repetit, sed illud & tantundem venditor fisco solvit: emens vero ignoranter, pretium repetit, & ultra illud tertiam partem, alienatione irrita manente.* Salic.

4. Imp. JUSTIN. A. Joanni P. P.

CEnsemus, [ut] si quis lite pendente, vel actiones, vel res, quæ possidet, ad alium quendam transtulerit, sive scientem, sive ignorantem, vitio litigiosi contractus subjacere: distinctione quadam inter contrahentes observanda, ut si quis sciens, vel ad venditiones [28], vel ad donationes, seu ad alios contractus acceserit, cognoscat se compellendum non tantum rem reddibere, sed etiam pretio ejus privari, non ut lucro cedat ei, qui rem alienavit, sed ut etiam alia tanta quantitas ab eo fisci [29] juribus inferatur. §. 1. Sin autem ignorans rem litigiosam emerit [30], vel per aliam speciem contractus eam acceperit: tunc irrita rei alienatione facta, pretium cum alia tertia parte recipiat. Justum est etenim propter dolosam mentem, & absconditam machinationem, cum non emptori manifestaverit rem in judicium deductam fuisse, [in] tertia parte pretii (sicut jam etiam disposuimus) eum puniri: Tali videlicet pœna non solum in aliis contractibus, verum etiam in donationibus [31] porrigenda: ut vera æstimatione facta, cum pretii datio non est, rem ad alium transferens, mutetur: omnibus instrumentis, quæ super hoc conficiuntur, nullam vim obtinentibus: exceptis videlicet hujus sanctionis dispositione his, qui vel dotis nomine, vel ante nuptias donationis, vel transactionis, aut divisionis rerum hereditariarum factæ, vel per legati [32], vel per fideicommissi causam tales res, vel actiones dederint, vel acceperint. Dat. 15. Kal. Novemb. *Constantinop.* post consulatum LAMPADII, & ORESTIS VV. CC. ann. secundo 532.

In AUTHENT. de litigiosis. §. & hoc autem præsenti. coll. 6. tit. 13. al. 8. Novell. 112. cap. 1.

*Nunc si heres in lite victor extiterit, rem ipsam, cujus dominus esse apparet, legatario præstet: qui nihil* [33] *consequitur, si victus fuerit heres, cum litis eventus ei videatur relictus. Igitur liti adesse potest, ne colludatur.*

TIT. XXXVIII.

DE CONTRAHENDA ET COMMITTENDA STIPULATIONE [34].

*De scriptura.*

1. Imp. SEVERUS & ANTONINUS AA. Secundo.

LIcet [35] epistolæ [36], quam libello inseruisti, additum non sit, *stipulatum esse eum, cui cavebatur*: tamen si res inter præsentes

1 *l. 8. infr. h. t. l. 2. ſupr. ſimtrod. reſcind. non poſſ.* 2 Diuturnus judicii tractus peremptorium non excindit, sed rei judicatæ excepto. 3 *l. 2. ſupr. unde vi. l. 1. ff. de vi & vi.* 4 Annua quæ sunt ad agendum, sunt perpetua ad excipiendum. adde *l. 8. l. 2. l. 7. 8. ſupr. de præſcript.* 30. vel 40. *annor.* 5 De dolo actio temporalis. *l. 30. in fin. ff. de pactis*, exceptio de dolo perpetua, *ut hic.* 6 Factum, *Nihil amplius petit*, restringitur ad eas tantum quantitates, quæ vere sunt solutæ. adde *l. 24. l. 31. ſupr. de tranſact. l. 13. ſupr. de furtis. l. 6. l. 13. ſ. de ſolutionib. l. 67. 8. 3. ff. de cond. indeb.* 7 Replicatio solutæ pecuniæ adversus pactum de non petendo nimis generalis est. 8 Exceptio, quæ semper agentibus obstat, semper rem de qua agitur, perimit. *§. 9. Inſtit. C. l. 3. ff. de exceptionibus.* 9 Peremptoria exceptio ante definitivam sententiam, potest quandocunque objici post litem contestatam. vide *l. 4. ff. h. t.* dilatoria non potest. *l. 12. l. h. t.* 10 *l. 9. ff. de except. l. 83. 8. 1. ff. de verb. obligi.* 11 Si reus certus est, adhorem maxime probatorium, negativa sufficit, nec necessaria exceptio est. adde *l. 4. ſupr. de edendo. l. 9. ſupr. de obligationibus.* 12 *Confidendo*, quidam ita legunt. 13 Non continuo fatetur qui excipit. vid. *l. 9. ff. h. t.* 14 Actor non excipit, sed reus. 15 Vide *Inſtit. de replicationibus in princ. l. 2. 8. l. l. 22. in fin. ff. h. t.* 16 Rei defensio competit fidejussori. dixi *ad l. 19. ff. h. t. adde l. 16. l. 49. ff. de fidejuſſoribus.* 8. 4. *Inſt. de exceptionibus.* An bonorum ademptio debitorem liberet, an fidejussorem eius? vid. Cujac. 16. *obſ. 35.* 17 Dilatoria exceptio ante litem contestatam opponenda, *ut hic. & l. 19. ſupr. de probationi.* Atqui post litem contestatam peremptoria admittuntur? *l. 8. ſupr. h. t.* Peremptoriæ judicii continuendi non sunt, sed constituti finiendi: dilatoriæ vero constituendi. Constituto judicio præpostere agitur de constituendo. adde Cujac. 18. *obſ. 34.* 18 *l. 65. C. Theod. de appellationib.* Goth. Canonistæ eli hæc lex in *can. 3. cauſ. 3. quæſt. 3.*

ſcita